



1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

Étude
sur le
Purgatoire de saint Patrice

Étude sur le
Purgatoire de saint Patrice
accompagnée du texte latin d'Utrecht et du texte anglo-normand de Cambridge

ACADEMISCH PROEFSCHRIFT TER VERKRIJGING VAN DEN GRAAD VAN DOCTOR IN DE LETTEREN EN WIJSBEGEERTE AAN DE UNIVERSITEIT VAN AMSTERDAM OP GEZAG VAN DEN RECTOR-MAGNIFICUS Dr H. BURGER, HOOGLEERAAR IN DE FACULTEIT DER GENEESKUNDE, IN HET OPENBAAR TE VERDEDIGEN IN DE AULA DER UNIVERSITEIT OP DINSDAG 6 DECEMBER 1927 DES NAMIDDAGS TE 4 UUR PRECIES

DOOR

Cornelis Mattheus van der Zanden
GEBOREN TE GOUDSWAARD

H. J. PARIS
AMSTERDAM MCMXXVII

AAN
MIJN VROUW

Met erkentelijkheid denk ik aan hen die tot mijn wetenschappelijke vorming hebben bijgedragen.

In het bijzonder aan U, hooggeachte Salverda de Grave, ben ik veel dank verschuldigd. Uw onvermoeide belangstelling in mijn werk, de welwillendheid waarmee gij mij steeds geholpen hebt met Uw groote kennis en rijke ervaring, zullen bij mij in dankbare herinnering blijven.

TABLE DES MATIÈRES

Les sources latines

Les versions françaises

LES SOURCES LATINES

Ainsi, ce qu'il faut constater, c'est, pendant tout le moyen âge et dans toute l'Europe, l'universelle présence du latin.

....et le latin est comme un tronc géant sur lequel, pendant quatre siècles, se sont épanouies avec exubérance les branches de toutes les littératures nationales. Qui veut faire l'histoire de ces littératures, c'est du latin qu'il doit partir.

E. Faral

De eodem

De eodem

UNE PAGE DU MANUSCRIT D'UTRECHT

Bibl. de l'Univ. 173 (I. H. 17)

CHAPITRE I

§ 1 — Description du manuscrit No. 173 (I. H. 17) de la Bibliothèque de l'Université d'Utrecht

Le *Tractatus de Purgatorio Sancti Patricii* fait partie d'un recueil de trente-trois opuscules d'édification, tous en latin. Le manuscrit, partie sur parchemin, partie sur papier, date de la seconde moitié du XVe siècle. Le papier est filigrané de deux clefs à anneaux entrelacés et à barbes tournées en dehors. Il est identique à celui dont un autre copiste s'est servi pour un manuscrit néerlandais et qui porte la date de 1461 [1]). La reliure du recueil est en bois recouvert de cuir; les différentes rubriques sont faciles à trouver grâce à de petits bouts de cuir qui dépassent les feuilles. Au verso de la couverture on lit: „Iste liber pertinet ad fratres carthusienses prope traiectum" [2]). Hauteur du manuscrit ± 300 mM., largeur ± 224 mM. L'en-tête de chaque chapitre est

[1]) Cf. *Tondalus' visioen en St. Patricius' Vagevuur* par Dr. R. Verdeyen et Dr. J. Endepols; Gent, W. Siffer; vol. I, p. 159.

[2]) L'abbaye des Chartreux près d'Utrecht connue sous le nom de „Nieuw Licht" (Lumière Nouvelle) ou de „Bloemendael" fut fondée en 1393 par Zweder d'Abcoude, seigneur de Gaesbeek. Un an auparavant le Prévôt de l'Eglise Saint-Jean d'Utrecht, Aernout de Tricht, avait donné le domaine de Bloemendael en bail emphytéotique au prieur et aux moines du couvent à construire (cf. van Ryn, *Historie van het Bisdom Utrecht*, vol. I, p. 645 et s.). Lors des troubles, sous la domination espagnole, le premier magistrat d'Utrecht, redoutant que l'ennemi ne se fortifiât dans le couvent, y envoya une compagnie de soldats. Mais les Chartreux, excédés par la turbulence de leurs hôtes, se retirèrent temporairement chez un des notables de la ville (1579). En 1580 la municipalité d'Utrecht entama avec eux des négociations sur la démolition de „Nieuw Licht". Elles n'aboutirent pas et le magistrat ordonna de son propre chef de démolir l'abbaye. Il fit transférer la bibliothèque précieuse des moines dans le chœur de l'église Saint-Jean, qui était la bibliothèque de la ville (1584); plus tard, celle-ci fut installée définitivement dans l'ancien palais de Louis-Napoléon et devint la Bibliothèque de l'Université d'Utrecht. (Details fournis par M. A. Hulshof, bibliothécaire de la Bibliothèque de l'Université d'Utrecht et par M. T. Pluim, de Baarn).

écrit à l'encre noire, soulignée à l'encre rouge; l'initiale de chaque chapitre est rouge et les majuscules initiales des phrases sont noires, parfois barrées de rouge. Le *Tractatus de purgatorio sancti Patricii* est placé entre un „Tractatus de defectibus et periculis occurrentibus in missa" (fol. 191a—193a) et les „Mirabilia in sacramento altaris" (fol. 202a—210a).

§ 2 — Texte du manuscrit d'Utrecht (ff. 195 r°.—201 v°.)

195 r°. *Incipit tractatus de purgatorio sancti Patricii ex historia Hibernie.*

[Entrée en matière] Est lacus in partibus Ultonie continens insulam bipartitam. Cuius pars altera, probate religionis ecclesiam habens, spectabilis valde est et amena, angelorum visitacione sanctorumque loci illius visibili frequencia incomparabiliter illustrata. Pars altera, hispida nimis et horribilis, solis demonibus dicitur assignata. Que et visibilibus catademonum (*sic*) turbis et pompis fere semper manet exposita. Pars ista IX in se foveas habet; in quarum aliqua si quis forte [pernoctare] presumpserit, quod a temerariis hominibus nonnunquam [constat] esse probatum, a malignis spiritibus statim arripitur, et nocte tota tam gravibus penis cruciatur, tot tantisque et tam ineffabilibus ignis et aque variique generis tormentis incessanter affligitur, ut mane facto vix vel minime [spiritus] superstitis reliquie misero in corpore reperiantur. Nec (*l.* Hec), ut asserunt, tormenta si quis semel ex injuncta penitencia sustinuerit, infernales amplius penas, nisi graviora commiserit, non subibit. Hic autem locus purgatorium Patricii ab incolis vocatur. De infernalibus namque reprob(r)orum penis, de vera post mortem perpetuaque electorum vita vir sanctus Patricius cum gente incredula dum disputasset, ut tanta tam inusitata, tam inopinabilis rerum novitas rudibus infidelium animis occulata (*sic*) fide cercius imprimeretur, eff[ic]aci orationum instantia magnam et admirabilem utriusque rei noticiam dureque cervicis populo perutilem meruit in terris optinere.

Item de eodem purgatorio prologus et cetera

[Dédicace] Patri suo peroptato in Christo Domino H, abbati de Sartis, frater H. monachorum minimus, cum continua salute, patri filius, obedientie munus. [Prologue] Jussistis, pater venerande, ut scriptum vobis mitterem quod de purgatorio sancti Patricii in vestra

me retuli audisse presencia. Quod quidem eo libentius aggredior, quo ad id explendum paternitatis vestre jussione instancius compellor. Licet enim utilitatem multorum per me provenire desiderem, non tamen nisi jussus talia presumerem. Vestram vero non lateat paternitatem nunquam me legisse vel audisse quitquam (*sic*) unde in timore et amore dei tantum proficerem. Et quoniam beatum Gregorium legimus multa dixisse de hiis que erga [animas] fiunt, terrenis exutas, et corporali narracione plurima proposuisse, ut et tristibus animos negligencium terreret et letis justorum affectum ad devocionem inflammaret, fiducialius quod jubetis ad profectum simplicium perficiam. In multis enim exemplis que proponit ad exitum animarum angelorum bonorum sive malorum presenciam adesse dicit, qui animas pro meritis vel ad tormenta pertrahant vel ad requiem perducant.

Sed et ipsas animas, adhuc in corpore positas, ante exitum multa aliquando de hiis que ventura sunt super eas, sive ex responsione consciencie interioris, sive per revelationes exterius factas, prescisse fatetur. Raptas etiam, et iterum ad corpora reductas, visiones quasdam et revelaciones sibi factas dicit narrasse, sive de tormentis impiorum, sive de gaudiis justorum. Et in hiis tamen nichil nisi corporale, vel corporalibus simile, recitasse: flumina, flammas, pontes, classes, domos, nemora, prata, flores, homines nigros vel candidos, et cetera qualia in hoc mundo solent vel ad gaudia amari vel ad tormenta timeri. Se quoque corporalibus solutas manibus trahi, pedibus deduci, collo suspendi, flagel[l]ari, precipitari, et alia multa hujusmodi, que nostre minime 195, v°.
repugnant narracioni. Notum est autem multos multociens quesisse, qualiter anime a corporibus exeant, quo pergant, quid inveniant, quid percipiant vel quid sustineant. Que quia nobis sunt abscondita, magis nobis sunt timenda quam querenda. Quis enim cum securitate unquam in incerto perrexit itinere? Hoc vero omnibus certum est quod vitam bonam mors mala non sequitur; et licet usque ad mortem maneat meritum, et post mortem reddatur premium, pena tamen post mortem esse dicitur, que purgatoria nominatur. In qua qui in hac vita cum quibusdam culpis justi tamen [et] ad vitam predestinati extiterint eternam, ad tempus pro eis cruciabuntur, ut purgentur. Unde et quemadmodum a Deo corporales pene dicuntur preparate, ita ipsis penis loca cor-

poralia in quibus sint dicuntur esse distincta. Creduntur tamen tormenta maxima ad que culpa deorsum premit in ymo esse et loca sibi habere; maxima vero gaudia ad que per justiciam sursum ascenditur, in summo; media autem bona et mala in medio; quod huic videtur congruere narracioni; et quod infernus subtus terram, vel infra terre concavitatem, quasi carcer et ergastulum tenebrarum a quibusdam esse creditur. Narratione ista nec minus asseritur; et quod paradisus in oriente et terra sit, narracio ista ostendit, ubi fidelium anime a penis purgatoriis liberate dicuntur aliquamdiu morari jocunde. Dicit vero Augustinus animas defunctorum post mortem usque ad ultimam resurrectionem abditis receptaculis contineri, sicut unaqueque est digna, vel in requie vel in erumpna. Quod vero beatus Augustinus et beatus Gregorius in corporeos spiritus dicunt pena corporalis ignis posse cruciari, narracione eciam ista hoc videtur affirmari. In pena vero purgatoria, qua post exitum purgantur electi, certum est alios aliis plus minusve pro meritis torqueri; que quidem ab hominibus non possunt diffiniri, quia ab eis non possunt sciri. Ab eisdem tamen quorum anime a corporibus exeunt, et iterum, deo volente, ad corpora redeunt, signa quedam corporalibus similia, ad demonstrationem spiritualium nunciantur; quia nisi in talibus et per talia ab animabus corporibus exutis viderentur, nullo modo ab eisdem ad corpora reversis, in corpore viventibus, et corporalia tantum scientibus, dicerentur. Unde et in hac narracione a corporali et mortali homine spiritualia dicuntur videri, quasi in corporali forma et specie. Quis vero mihi eam retulerit, et quomodo eam ille agnoverit, in fine narracionis indicabo; quam quidem narracionem, si bene memini, ita exorsus est.

De eodem et cetera

[Prédication de s. Patrice]

Dicitur magnus pater sanctus Patricius, a primo secundus, dum in Hybernia verbum Dei predicaret atque miraculis gloriosis choruscaret, studuit bestiales hominum illius patrie animos terrore tormentorum infernalium a malo revocare et paradisi gaudiorum promissione in bono firmare. Eos vero, inquit horum relator, adero esse bestiales veraciter et ipse comperi, quando enim fui in patria illa per quendam mihi confitentem hujus gentis bestialitatem satis expertus sum. Cum vero beatus Patricius illam voluisset et terrore tormentorum infernalium et amore gaudiorum paradisi

avertere et avellere, dicebant ad Christum nunquam se conversuros nec pro miraculis que videbant ab eo firi, nisi aliquis illorum et tormenta illa malorum et gaudia bonorum posset intueri, quatenus rebus visis certiores firent quam promissis et predicatis. Sanctus vero Patricius deo devotus et a deo satis devocior, etiam pro salute populi ejus tunc in vigiliis et jejuniis et orationibus atque aliis bonis operibus insistebat. Et quidem dum talibus pro salute populi intenderet bonis, pius dominus Ihesus ei visibiliter apparuit, sicut sepius fecit, textum ewangeliorum et baculum unum dedit ei, que huc-usque in Hybernia pro magnis ac preciosis reliquiis, ut justum est, habentur. Baculus vero ille pro eo quod illum sancto suo Ihesus dedit, baculus Ihesu est vocatus, de quibus eciam in vita sancti Malachie scriptum invenimus. Quicumque vero in patria illa summus fuerat archiepiscopus, hunc habuit pro signo sui presulatus.

Sanctum vero Patricium Dominus in locum desertum eduxit, 196, r°.
fossam unam rotondam atque intus obscuram ostendit ei, dicens quod quisque veraciter penitens et fide armatus fossam illam bona intencione introisset spacio unius diei et noctis ab omnibus in ea purgaretur que in tota vita sua commiserat peccatis, et quod per eam intrans non solum tormenta malorum esset visurus, sed eciam, si fide constans esset, gaudia bonorum. Sicque ab ejus visu Domino disparente spirituali jocunditate repletus est sanctus Patricius, tam pro Domini apparicione quam pro fosse illi ostensione, per quam sperabat populum conversurum ab errore. Statim vero in loco beatus Patricius ecclesiam construxit et canonicos regulares in ea constituit. Fossam vero illam, que in cymiterio est extra frontem ecclesie orientalem, muro circumdedit et januas serasque apposuit, ne quis hominum sine ejus licencia per diem vel per noctem eam intrare presumeret. Clavem vero ostii custodiendam prebuit ejusdem ecclesie priori.

[Fondation d'une église près de la caverne]

De eodem

Cum vero tempore beati Patricii fossam illam introissent multi penitencia ducti, et tormenta se maxima perpessos et gaudia se vidisse testati sunt. Quorum relaciones et dicta jussit beatus pater Patricius scribi in ecclesia illa. Eorum ergo attestacione ceperunt alii beati patris predicationem suscipere. Et quoniam ibi homo a peccatis purgatur, locus ille purgatorium vocatur; et quia beato Patricio priusquam

alteri ostendebatur, purgatorium beati Patricii nominatur. Locus autem ecclesie Reglis dicitur.

[L'anecdote du prieur qui n'avait plus qu'une dent]

Post obitum vero sancti Patricii erat prior in ecclesia illa homo quidem sancte conversacionis ita decrepitus ut pre senectute non esset in capite ejus nisi dens unus tantummodo. Et quia, sicut dicit Gregorius, licet senex sit sanus, tamen ipsa sua senectute semper est infirmus, vir iste, ne senectutis sue infirmitate aliis videretur inferre molestiam, juxta canonicorum dormitorium sibi fecit parari habitaculum. Porro juniores qui in ecclesia nutriti erant sepe ex amore jocando eidem seni dicere consueverant: „Quamdiu, pater, in hac vita vis permanere et quando hinc vis abire?" Quibus ille: „Mallem, inquit, filii, si Deus vellet, hinc magis cicius abire, quam tamdiu hic mortaliter vivere. Hic enim non sentio nisi miseriam, ibi non habebo nisi magnam gloriam." Porro illi qui eum, ut dictum est, interrogabant sepe in noctibus angelos in habitaculo illo quo fuit senex circa eum cantantes de dormitorio suo audierunt. Cantus autem eorum hunc habebat modum: „Beatus es tu et beatus est dens qui est in ore tuo, quem nunquam tetigit cibus delectabilis". Ejus enim erat cibus sal et panis siccus; potus vero aqua frigida. Qui tandem, ut optavit, feliciter ad Dominum migravit.

De eodem

[Initiation au rituel à suivre]

Hoc autem sciendum est quod tempore beati Patricii et aliis postea temporibus multi homines purgatorium illud intraverunt, quorum alii reversi sunt, alii nunquam redierunt, quia omnino ibi perierunt. Redeuncium autem narrationes et dicta a canonicis loci illius sunt in monasterio scripta. Est autem talis consuetudo, tam a sancto Patricio quam ab ejus successoribus tradita, ut purgatorium illud nemo introeat, nisi qui ab episcopo in cujus episcopatu est licenciam habeat et propria voluntate illud intrare pro purgacione peccatorum suorum [eligat]. Qui cum ad episcopum venerit et affectum suum ei manifestaverit, prius eum episcopus hortatur ut a tali proposito revertatur, dicendo ei quod multi illud introierunt qui nunquam redierunt. Et si sic in proposito
196, v°. perduraverit, preceptis litteris ab episcopo ad locum pergit; quas cum loci illius prior receperit et hominis voluntatem cognoverit, mox illi purgatorium intrare dissuadet et ut aliam penitentiam eligat ammonet, dicens quod multi

perierunt de illis qui illud intraverunt. Et si viderit eum non posse flecti a proposito, facit eum ecclesiam intrare, ut XV diebus in ea sit orationibus intentus. Circa vero horum finem dierum convocat prior loci illius vicinum clerum, sicque in ecclesia missa mane celebratur, ad quam homo sacra communione [munitur]; aqua exorzizata exorcismis ad hoc officium a beato Patricio et ejus successoribus constitutis aspergitur et cum processione et letanie cantu ad ostium predicti purgatorii educitur; et tunc prior, coram omnibus ei ostium aperiens, et infestacionem demonum et multorum qui illam fossam intraverunt et nunquam redierunt denunciat perdicionem et periculum. Et si adhuc intrare voluerit, percepta ab omnibus sacerdotibus benedictione et omnium se commendans orationi propriaque manu se signo crucis signans, ingreditur; moxque ostium a priore obseratur. Sicque processio ad ecclesiam revertitur, et iterum mane die altera de ecclesia ad ostium fosse regreditur ostiumque a priore reseratur. Et si homo reversus invenitur, in ecclesiam introducitur et iterum XV diebus in ea orationi est intentus. Quod si altera die eadem hora qua ingressus est reversum non invenirent, eum certissime omnino perisse sciunt; sicque ostio a priore obserato omnes pariter recedunt.

De eodem

Contigit autem hiis temporibus nostris, diebus scilicet Stephani regis, militem unum nomine Oweyn, de quo presens est narratio, ad episcopum in cujus episcopatu prefatum est purgatorium confessionis gratia venire. Quem cum pro peccatis increparet et illum Deum graviter offendisse diceret, miles graviter doluit atque condigna penitencia Deo satisfacere excogitavit. Cumque episcopus ei penitenciam, secundum quod sibi videbatur, injungere voluisset, respondit: „Dum, ut asseris, factorem meum in tantum offenderim, penitentiam omnibus penis graviorem assumam. Quoniam quidem ut remissionem meorum accipere merear peccatorum, purgatorium sancti Patricii subire volo." Episcopus hoc ei cogitare dissuasit, sed virilis animi miles dissuasioni episcopi minime consensit. Dixit ei episcopus quod multi in eo perierunt, sed veri militis animum terror nullus flectere potuit. Ammonuit episcopus ut monachorum vel aliorum regularium clericorum susciperet habitum, quod ille se negavit facturum donec purgatorium intrasset. Missus est ergo ad priorem

[Le chevalier Owein]

[Préliminaires]

secundum morem predictum; in ecclesia illa XV diebus orationibus vacavit. Sicque a fratribus et clero vicino ad hoc convocato missa mane celebratur, ad quam miles communicatus ad fosse introitum, aqua benedicta aspersus, cum processione et letanie cantu est deductus. Et aperto a priore ostio, sic coram omnibus dixit eidem viro: „Ecce hic est locus ille quem cupis intrare. Si nostris acquieveris consiliis, ab hoc proposito omnino reverteris et vitam tuam in hoc seculo alio modo corriges. Hic enim multi introierunt qui nunquam redierunt, quia per fidei inconstanciam et tormentorum intolleranciam omnino corpore et anima perierunt. Quod si intrare volueris, dico tibi quid tamen primo invenies." Quo respondente: „Pro peccatis meis intrabo absque retractacione". Sic dictum accepit a priore: „Ecce nunc in nomine Domini intrabis, et per concavitatem terre tamdiu ibis, donec in campum unum exibis in quo invenies aulam unam artificiosissime fabricatam. Quam cum intraveris, statim ex parte Dei nuncios habebis, qui tibi quid facies pie indicabunt. Et sic te solum relinquentes, aula exibunt. Sic enim scriptum evenisse eis qui pre ingressi sunt." Vir
197, r°. autem virilem gerens in pectore animum, quod alios absorbuerat, non formidat periculum; vis interni doloris pro peccatis contempnit universa que ei ostenduntur verbis. Armis ferreis munitus qui bellis interfuit hominum, fide, spe et justicia ornatus, ad pugnam audacter prorupit demonum. Prius namque omnium orationi se commendans, frontemque cruce muniens, confidenter et hylariter portam intravit, quam prior foras statim obseravit et ad ecclesiam [rediit].

De eodem

[Première étape du voyage]

Novam autem exercens miliciam, [pergit] miles audacter, licet solus, ac diucius per foveam. Ingravescentibus magis ac magis tenebris, lucem amittit tocius claritatis. Tandem ex adverso lux parvula cepit. Denique ad aulam pervenit et campum predictum. Lux ibi non habebatur nisi qualis hic vespertinis horis in hyeme habetur. Aula vero parietem in se non habuit integrum, quoniam columpnis et archiolis erat constructa, quasi monachorum claustrum. Cumque circa aulam diucius ambulasset, mirando ejus structuram mirabilem, ingrediebatur intus et vidit infra ejus septa multo mirabiliorem. Sedens igitur in aula, oculos curiose huc illucque jactavit, admirans pulcritudinem et apparatum

quem in ea vidit. Sic enim ille estimavit non est aula visa talis in mundo. Cum itaque in ea sedisset aliquamdiu, ecce XII viri quasi religiosi et nuper rasi atque albis vestibus amicti domum illam intraverunt et, salutantes eum in nomine Domini, consederunt. Et tacentibus aliis unus cum eo loquebatur, qui quasi prior et dux eorum esse videbatur: „Benedictus sit omnipotens Deus, qui in corde tuo bonum propositum misit, et in te perficiat ipse bonum quod incepit. Et quoniam ad hoc purgatorium venisti pro peccatis tuis, ut ab ipsis purgeris, aut viriliter agere ex necessitate compelleris, aut per inerciam anima et corpore pariter peribis. Mox enim, ut egressi fuerimus hac domo, replebitur multitudine malignorum spirituum, qui gravia tibi inferent tormenta et minabuntur inferre graviora; ad portam qua intrasti, illesum te ducturos se permittent (*sic*), si eis ut revertaris assenseris, conantes si te hoc modo decipere possint. Et si quolibetmodo, vel tormentorum afflictione, vel [minis] territus, seu promissis deceptus, assensum illis prebueris, corpore et anima pariter peribis. Si autem fide firmatus spem totam in Domino posueris, ita ut nec tormentis nec minis nec promissis cesseris, sed ex corde quasi nichilum contempseris, non solum ab omnibus actualibus peccatis tuis purgaberis, sed et tormenta que parata sunt peccatoribus pro peccatis et requiem in qua justi letantur videbis. Semper igitur in memoriam habeas Deum; et cum te cruciaverint, invoca Dominum Ihesum Christum, per invocacionem nominis ejus, statim liberaberis a quocumque tormento in quo fueris. Tecum vero amplius hic esse non possumus; Deo omnipotenti te commendamus." Sicque eorum benedictione data viro recesserunt. [Les douze messagers]

De eodem

Ille ergo solus relictus, justicie lorica induitur, scuto fidei protegitur, spe victorie salutisque eterne mens, ut caput galea, redimitur; habet et gladium spiritus, quod est verbum Dei, devote invocando Dominum Ihesum Christum, quatenus ejus regio munimine sic cooperiatur et sepiatur ut adversariis infestantibus non superetur. Nec illum boni Ihesu pietas fefellit, que confidentes in se fallere non consuevit. Cum ita 197. v°. instructus in aula solus sederet animoque impavido pugnam demonum exspectaret, subito circa domum cepit audiri tumultus quasi totus commoveretur mundus. Etenim si [Apparition des démons]

totum genus humanum et omnia animalia et bestie simul convocarentur et vocibus suis pariter tumultuarentur, ut sibi visum est, majorem tumultum non facerent. Unde nisi divina virtute protegeretur et a viris predictis instructus fuisset, ipso tumultu amentaretur. Et ecce post horridum sonum sequitur horribilis visio demonum; visibiliter enim cepit innumera demonum multitudo undique formarum deformium in domum illam irruere, cachinando et deridendo illum salutare, et ita ei quasi per obprobria dicere: „Alii homines qui nobis serviunt non nisi post mortem ad nos veniunt, unde eo magis debemus tibi grates reddere, et majorem mercedem pro servicio tuo tibi recompensare. Recipies habundanter a nobis que meruisti; huc venisti, ut pro peccatis tuis tormenta sustineres; habebis nobiscum pressuras et dolores. Verumtamen pro eo quod nobis servieris, si nostris acquiescendo consiliis reverti volueris, hoc tibi pro munere faciemus, quod ad portam qua intrasti illesum te deducemus, quatenus vivens in mundo adhuc gaudeas, ne totum quod suave est corpori tuo funditus amittas." Hec ei ideo dixerunt, quia aut terrore aut blandimentis eum decipere voluerunt. Sed Christi miles nec terrore eorum concutitur nec blandimentis eorum seducitur. Eodem animo Christi miles et terrentes contempnebat et blandientes et sedendo omnino tacuit nec eis vel unum verbum respondit.

[L'épreuve] Contempni se videntes, fremebant in eum struxeruntque in domo maximi incendii rogum. Post hoc manus et pedes militis ligaverunt, ligatumque in ignem projecerunt uncisque ferreis huc et illuc per incendium clamantes traxerunt. At ille tam regis sui munimine septus quam a viris predictis nuper instructus, spiritalis milicie artem minime est oblitus. Nomen enim pii Ihesu invocavit sicque ab eorum invasione se defendit. Primo in ignem missus tormentum grave sensit, et in ipsa angustia bonum nomen nominavit. Ita vero est extinctus totius incendii rogus, ut post invocacionem nominis sancti nec scintilla inveniretur.

Quod cernens, miles audacior efficitur contra hostes: hoc quoque in animo proposuit quod in futuro eos non formidaret quos per invocacionem sancti nominis ita vinci conspexit.

[Premier tourment] Relinquentes igitur demones domum cum ejulatu et tumultu horribili, militem inde traxerunt secum. Egredientes

vero alii ab aliis discesserunt. Quidam eorum militem per vastam regionem diucius traxerunt. Nigra erat terra et tenebrosa, nec quicquam nisi demones eum trahentes, in ea vidit. Ventus autem unus talis ibi fuit qui [vix] audiri possit, sed sui rigiditate, ut sibi visum est, corpus suum perforavit. Versus locum illum traxerunt militem recto tramite quo sol oritur longioribus diebus in estate. Cumque illuc euntes venissent quasi in mundi fine, ceperunt dextrorsum converti et quasi per vallem latissimam contra austrum tendere, scilicet contra locum in quo sol oritur brevioribus diebus in hyeme. Illucque convertendo cepit quasi vulgi tocius terre miserrimos clamores, ejulatus et fletus audire, et quo magis illuc appropiavit eo clariores et multipliciores clamores audivit. Tandem tractu demonum latissimum largissimumque pervenit in campum dolore ac miseriis plenum. Finis campi illius pre longitudine non poterat videri a milite.

Campus autem ille plenus erat hominibus utriusque sexus diverse[que etatis], nudis et in terram jacentibus; quorum corpora et membra super terram extendebantur et ventre ad terram verso, clavis ferreis candentibus per manus et pedes defixis, miserabiliter tenebantur. Aliquando pre doloris angustia terram commedebant, aliquando cum fletu et ejulatu miserabiliter „parce, parce" vel „miserere, miserere" clama- 198, r°.
bant. Sed qui eorum ibi miseretur non habebant. Demones eciam inter et super eos currentes flagris gravibus eos cedebant. Dicunt illi demones: „Hec tormenta que vides senciendo pacieris, nisi nostris acquieveris consiliis: hoc est, ut a proposito cesses et revertaris; et si volueris, ad portam quam intrasti a nobis pacifice reduceris, et sic illesus abibis." Ille vero mente retinens qualiter alibi ab eis illum Deus liberavit, eos audire omnino contempsit. Illi vero eum in terram prostraverunt et clavis figere, ut alii erant, conati sunt; sed invocato nomine Ihesu ei in loco illo amplius nil facere potuerunt.

De eodem

Inde ad campum alium ceperunt eum trahere, majori miseria repletum. [Deuxième tourment] Ille campus hominibus utriusque sexus diverseque etatis, clavis in terram fixis, erat plenus. Inter istos et alios qui in alio campo erant erat diversitas ista, quod ventres quidem illorum, istorum vero dorsa terre heserunt. Dracones igniti super alios sedebant et quasi commedendo eos modo miserabili dentibus igneis mordebant; aliorum vero colla,

vel brachia, vel corpora, serpentes igniti circumci[n]xerunt et capita sua pectoribus hominum apponentes, ignitum aculeum oris sui in cordibus infixerunt. Bufones eciam mire magnitudinis et quasi igniti visi sunt super quorundam pectora insistere et rostra sua deformia infigentes, quasi corda eorum conati sunt extrahere. Qui ita in hoc campo clavis erant affixi a fletu et ululatu nunquam cessabant. Demones inter et super eos transibant et eos cedebant et cruciabant. Fines hujus campi non vidit, pre longitudine enim non potuit, nisi in latitudine, qua intravit et exivit. In transversum campos pertransivit. „Hec, inquiunt demones, que vides pacieris, nisi nobis ut revertaris assenseris." Qui contempti eum cum alliis affligere conati sunt, sed invocato nomine Ihesu nequiverunt.

De eodem

[Troisième tourment] Inde igitur trahentes, illum perduxerunt ad tercium campum, miseriis plenum. Ibi homines utriusque sexus diverseque etatis infiniti erant ita ut campum replerent. Qui ita in terra clavis ferreis candentibus fixi jacebant, ut pre multitudine clavorum ignitorum a capitum summitate usque ad digitos pedum locus vacuus non inveniretur quantus digiti unius summitate tegeretur. Isti vix vocem ad clamandum formare potuerunt. Sed sicut homines qui morti proximi sunt, ita utcumque potuerunt vocem emiserunt. Nudi et isti sicut et ceteri esse videbantur, et vento fridigo et urente flagrisque demonum cruciabantur. „Hec, inquiunt demones, tormenta pacieris, nisi nobis ut revertaris assenseris." Et cum eum ita clavis affigere voluissent, invocavit nomen Ihesu, et ei amplius ibi nil facere potuerunt.

De eodem

[Quatrième tourment] Transeuntes igitur illum, pervenerunt in quartum campum multis ignibus plenum, in quo omnia genera penarum invenerunt. Alii suspendebantur cathenis igneis per pedes, alii per manus, alii per brachia, alii per tibias, capitibus in yma
198, v°. versis et sulphureis flammis immersis; alii ignibus pendebant (in) uncis ferreis in oculis, vel auribus, vel naribus, vel faucibus, vel mammillis, vel genitalibus infixis; alii fornacibus suphureis (*sic*) crem(e)[a]bantur; alii quasi per sartagines urebantur, alii verubus igneis membris infixi ad ignem assabantur, quos alii demones igni appositos verterunt; alii diversis metallis deguttaverunt liquescentibus. Demones omnes ceciderunt et nulli parcere voluerunt. Omnia genera tormentorum que

excogitari possunt ibi quodam modo visa sunt. Ibi de sociis quosdam suis invenit et bene cognovit; de ululatibus et fletibus et clamoribus quos audivit nulla vox hominum dicere ex toto sufficit. Hii autem campi non solum cruciatis hominibus, sed eciam cruciantibus demonibus erant pleni. Ubi cum vellent eum cruciare, invocato nomine Ihesu, nichil ei facere valuerunt.

De eodem

Inde igitur descenderunt ubi vidit rotam maximam ferream et igneam, cujus radii et canti uncis igneis undique erant circumsepti. In quibus singulis pendebant quasi homines infixi. Rote autem hujus medieta(ti)s sursum in aere stabat, alia medietas in terra deorsum erat. Flamma autem tetri sulphureique incendii de terra circa illam surgebat et (hec) pendentes in ea miserime conburebat. „Hec, inquiunt demones, que isti tolerant pacieris, nisi reverti volueris. Que tamen tolerant prius nunc videbis." Demones igitur ex utraque parte alii contra alios steterunt et alii in utraque parte ferreos vectes inter radios rote impingentes, rotam levaverunt et eam deorsum depresserunt. Tantaque sic eam fecerunt agilitate rotare, ut nullum omnino ab alio visu possent discernere, quia pre nimia cursus celeritate videbatur quasi ignis esse. Planxerunt miseri et fleverunt omnes qui rote infixi fuerunt. Cumque eum super rotam jactassent et eum in aere rotando levassent, in descensione rote nomen Christi invocavit et statim de ea descendit. Quod videntes, demones eum protraxerunt procedentes ad alia tormenta. [Cinquième tourment]

De eodem

Post hec vidit ante se unam domum grandem quasi fornacem fumigantem, cujus latitudo fuit nimia, longitudo tanta ut illius non possent videri ultima. Cum vero versus eam horribiliter tractus iret et adhuc ab ea aliquantulum longius esset, pre nimio calore qui inde exibat subsistere, volens procedere, non poterat. Dixerunt ei demones: „Quid subsistendo tardas vero? Balnearium est, quod vides; velis nolis, illuc progredieris ut cum eis qui ibi sunt balneeris." Ceperunt autem de domo illa miserimi vagitus emitti ac fletus et planctus audiri. Intrans autem domum illam, vidit visionem duram. Etenim domus illius pavimentum rotundis fossis erat plenum, de quibus alia alii sic cohesit que vix inter ipsas via aliqua apparuit. Erant autem fosse singule diversis metallis ac liquoribus bul- [Sixième tourment]

lientibus plene. In quibus utriusque sexus diverseque etatis erat demersa multitudo maxima hominum, quorum quidam omnino immersi erant, alii usque ad supercilia, alii usque ad oculos, alii ad colla, ad pectus, ad umblicum, ad femora, ad genua, ad tibias; alii uno tantum pede in metallo bulliente stabant. Alii unam manum vel utramque in eis tenebant. Omnes pariter pre dolore conclamabant, omnes miserabiliter flebant. „Ecce, inquiunt demones, cum istis balneaberis, nisi reverti volueris." Et cum cepissent illum in fossam unam mittere, invocato ab eo Christi nomine, ceperunt inde procedere.

De eodem

[Septième tourment] 199, r°. Inde protrahentes eum perrexerunt contra montem unum, in quo utriusque sexus et diverse etatis super digitos pedum curvatam tantam multitudinem nudorum hominum vidit sedere, quod pauci viderentur ei omnes quos ante viderat in respectu eorum. Omnes vero illi nudi erant quos ibi vidit, et qua simortem cum tremore exspectantes ad aquilonem erant versi. Cumque ille miraretur quid hec multitudo prestolaretur, unus demonum dixit ad eum: „Miraris fortasse quid cum tanto timore exspectat populus iste? Nisi reverti volueris, scies hoc certissime." Vix demon verbum finierat, et ecce ab aquilone ventus turbinis veniebat, qui et ipsos et quem duxerunt omnemque populum illum arripuit et in flumine fetido ac frigidissimo flentem et ejulantem longe in alia parte montis jactavit, in quo nimio frigore vex(e)[a]bantur. Et cum de aqua surgere niterentur, currentes desuper aquas demones in ipso flumine immerserunt eos. At miles nomen Christi invocavit et statim se in alia ripa invenit.

De eodem

[Huitième tourment] Accedunt ad eum demones contra austrum illum trahentes. Et ecce ante se vidit flammam tetram et sulphureo fetore fetidam quasi ascendere et quasi homines nudos et igneos utriusque [sexus] diverseque etatis sicut scintillas ignis sursum in aera jactare. Qui et flammarum vi deficiente iterum ceciderunt in puteum et in ignem. Quo approximantes, dixerunt militi demones: „Iste flammivomus puteus inferni est introitus; in hoc loco nostrum est habitaculum. Et quoniam nobis huc-usque servisti, hic sine fine manebis nobiscum. Omnes enim qui nobis serviunt hic sine fine nobiscum manebunt. Et si os hoc inferni intraveris, et anima et corpore pariter peribis. Si tamen adhuc nobis assenseris ut revertaris ad portam quam intrasti,

illesus a nobis reduceris." Ille autem de Dei adjutorio presumens illorumque promissa contempnens, in ignem putei est projectus; et quo profundius in puteum descendit, eo laciorem illum intrinsecus esse vidit et eo graviorem penam sensit. In eo vero tantam sensit miles angustiam ut pene pre nimietate angustie et doloris omnino oblitus esset sui adjutoris. Deo tamen opitulante nomen Ihesu Christi invocavit statimque vis flamme eum cum reliquis in aera levavit. Sicque in ascensione juxta puteum aliquamdiu stetit solus. Cumque se ab ore putei subtrahens stetisset, ignorans quo se verteret, ecce demones alii et ab eo incogniti, ut ita dicam, de puteo procedentes advenerunt eique sic dixerunt: „Et tu ibi stas? Quod hic esset infernus, socii nostri dixerunt tibi; sed consuetudinis nostre est semper mentiri, ut decipiamus per mendacium quos decipere non possumus per verum. Hic non est locus inferni, sed nunc te ad infernum deducemus."

Inde ergo cum tumultu magno eum traxerunt, sicque ad flumen unum latissimum et fetidum pervenerunt. Erat autem flumen illud totum flamma quasi sulphurei incendii coopertum atque demonum multitudine plenum. Dixerunt ergo ei: „Sub isto flammante flumine scias infernum esse." Ultra flumen quod videbatur pons unus protendebatur. Dixeruntque demones ad militem: „Oportet te nunc ambulare super hunc pontem, et per nos ventus ille qui te dejecit in flumen aliud te deiciet in illud; et statim a sociis nostris qui in flumine sunt capieris et in profundum inferni demergeris. Prius tamen habes probare quale sit super pontem istum ire." Et tenentes demones manus ejus fricaverunt super pontem illum. Et ecce in ponte illo erant tria transeuntibus valde dubitanda: primum, quod ita lubricus erat ut, si eciam latus esset, nullus aut vix quis in eo pedem figere posset; aliud, quod ita strictus erat quod fere intransibilis; tertium, quod ita altus erat quod horrendum esset deorsum aspicere. „Si tamen, inquiunt ei, nobis assenseris ut revertaris, ad portam illesus deduceris." Cogitans autem ille de quantis eum pius Ihesus liberavit antea periculis, invocato ejus sanctissimo nomine concepit pedetentim prius super pontem ambulare. Quo vero super pontem ambulavit amplius eo incessit securius, quo enim in eo magis ambulavit eo viam largiorem invenit et latitudo vie ex utraque parte crevit. Et ecce post paululum latitudo pontis exciperet carrum onustum, et post modicum via 199, v°.

[Neuvième tourment]

2

erat ita larga ut sibi obviarent in ea duo carra. Porro demones qui eum adduxerant in ripa fluminis restiterunt, et videntes militem libere abire, vocibus suis aerem ita concusserunt ut magis esset vocum illorum terrore percussus quam illacione tormentorum. Alii demones, qui sub ponte in flumine erant, uncos suos ad illum jactaverunt, sed tangere non potuerunt. Secure tandem perrexit, quia sibi nichil resistere invenit, sicque latitudine pontis excrescente flumen respexit ex utraque parte a longe.

[Homélie] Comparentur nunc temptaciones hujus vite locorum istorum tormentis ac miserie, que, si opponantur in mentis statera, quasi maris arena omnibus temptacionibus gravior locorum istorum apparebit miseria. Carneis motibus nemo delectabitur quamdiu de hiis meditabitur. Quibus gravis et aspera videtur esse quies claustralis et religio, cogite[n]t qualis sit locorum istorum horror et tormentorum illorum excruciacio. Levior quippe est vita in qua corporis et anime habentur sine acquirendi sollicitudine necessaria, quam illa in qua tanta audiuntur esse tormenta, per que tamen tormenta mente rogo sepe transeamus. Carissimis nostris qui pro peccatis in eis sunt auxilium precibus devotis feramus. Sicut enim militi dicitur, omnes qui pro peccatis purgandis extra os putei in quibuslibet locis cruciantur, per beneficia que pro eis fient a penis liberabuntur. In eis fortasse cruciantur patres nostri, vel matres, vel sorores, vel fratres, vel amici, alii consistunt ut purgentur; nostris precibus ac beneficiis exspectant ut liberentur.

De eodem

[Le paradis terrestre] Procedens ergo miles jam liber a demonibus, vidit ante se murum unum altum erectum in aere, mire et incomparabilis structure. In quo portam unam vidit clausam, que metallis et lapidibus preciosis ornata choruscacione mire radiabat. Ad quam cum appropinquasset et adhuc quasi spacio dimidii miliaris abesset, porta illa ei patuit et tante suavitatis odor ei occurrens per eam exivit ut, sicut videbatur ei, si res tocius mundi convertentur in aromata, non tamen vincerent hujus magnitudinem suavitatis. Inde tantas vires percepit ut tormenta que antea vidit et pertulit jam sine angustia, ut sibi visum est, posset sustinere. Respiciensque infra portam, vidit patriam claritate solis splendorem vincentem illustratam. Vidit, et introire concupivit. Et ecce antequam intraret, occurerunt ei cum crucibus, vexillis cereisque et quasi palmarum

aurearum ramis processio talis ac tanta quanta in hoc mundo, ut estimavit, nunquam est visa. Vidit quasi hominum formas de omnibus ordinibus diverseque etatis et utriusque sexus. Vidit alios quasi archiepiscopos, alios quasi archidyaconos, alios quasi episcopos, alios ut abbates et monachos, alios quasi presbyteros et singulorum graduum ministros, ecclesie sacris vestibus suis ordinibus congruentibus indutos. Omnes vero, tam clerici quam laici, forma vestium videbantur esse induti in quibus servierunt Christo in hac vita. Militem vero cum magna veneracione et leticia receperunt, sicque concentu seculo inaudite armonie secum illum perducentes, infra portam redierunt. Finito vero concentu qui illum introduxerunt, duo quasi archiepiscopi vel archidiaconi patriam ei ostensuri in suo eum ductu et comitatu susceperunt. Qui cum eo loquentes, primo benedixerunt Deum, qui tanta constancia contra tormenta tot et tanta animum ejus confirmavit. Ipsis ergo eum per patriam ducentibus huc illucque pertransivit, et multo plura quam dicere potuit in illa jocunda visione vidit.

De eodem

Vidit tamen patriam tanta claritate lucis lustratam ut, 200, r°.
sicut lumen lucerne cecatur splendore solis hujus, sic sol meridianus, ut sibi videbatur, obtenebraretur pre nimia claritate lucis illius. Fines patrie illius pre nimia longitudine et latitudine scire non potuit, nisi tamen ex ea parte qua per portam intravit. Erat autem et patria tota quasi amena prata atque virencia, diversis floribus fructibusque multiformium herbarum arborumque decorata, ex quorum tamen odore sine fine, ut sibi visum est, vixisset, si ibi esset. Nox illam nunquam obscurat, quia semper splendor celi puri desuper in ea indicibili claritate rutilat tantamque vidit ibi utriusque sexus multitudinem hominum quanta[m] in hac vita se nec alium vidisse putavit. Alii in hiis, alii in illis locis per conventus distincti commanebant tamen, prout voluerunt, alii de istis in illis, alii de illis in istis catervis cum leticia transibant, sicque fiebat ut et alii de aliorum visione gauderent et alii de aliorum visitatione exultarent. Chori choris per loca astiterunt dulcisque armonie concentu Creatorem suum laudaverunt. Et sicut stella ab alia differt in claritate, ita erat differencia varia in eorum vestium et vultuum nitore. Alii vero amictu videbantur indu[t]i aureo, alii viridi, alii purpureo, alii jacinc-

tino, alii ceruleo, alii candido, forma tamen habitus qua singuli utebantur in seculo; forma enim vestis novit miles cujus ille vel ille fuit ordinis in seculo. Quorum varius color varie pocius videbatur esse claritatis splendor; hoc enim quod videbatur esse vestium color et forma, videbatur vestis uniuscujusque nitentis pocius esse claritatis gloria. Alii quasi reges incedebant coronati, alii in manibus palmas aureas ferebant. Tantorum in requie militi fuit delectabilis aspectus, nec minus eorundem armonie delectabilis suavisque auditus. Undique sanctorum audivit concentum laudes Dei personantium; singuli autem de propria felicitate gaudebant, singuli de singulorum gaudio et erepcione exultabant tantusque patriam odor replevit suavitatis ut ipsa suavitatis fraglancia viderentur sustentare habitantes et ambulantes in ea. Ibi videbantur mansiones variorum con(c)[v]entuum; erant singule multa luce replete. Omnes vero qui militem intuebantur, Deum benedicentes de ejus adventu quasi de fraterna exempcione a morte gratulabantur. Videbatur quodammodo de adventu ejus quasi nova exultacio fieri: unusquisque ibi exultabat, undique sanctorum melodia resonabat, nec estum nec frigus ibi senciebat, nec quod offendere vel nocere posset ibi quidquam vidit. Omnia pacata, omnia placita, omnia grata. Multo plura in beatorum requie oculis vidit quam in hac vita de ea unquam audivit vel quis inde scire possit.

De eodem

Conspectis tandem locis multis et sanctorum conventibus, atque ab eo auditis cantilenis suavibus, pontifices qui ei patriam ostenderunt, ab aliis se seorsum subtrahentes, militi
[Allocution des archevêques] sic dixerunt: „Ecce, frater, Deo auxiliante vidisti que videre desiderasti, scilicet tormenta peccatorum et requiem beatorum. Benedictus sit Creator et redemptor omnium, qui tibi tale contulit propositum, cujus gratia constanciam habuisti in tormentis per que transisti. Et quoniam ejus gratia et virtute ad nos venisti, visorum rationem a nobis audies. Patria ista terrestris est paradisus, unde pro peccatis ejectus est primus homo. Hinc autem expulsus in miseriam mundi est pro-
200, v°. jectus. Postquam enim Deo subici per precepti obedienciam noluit, celica gaudia que in hoc loco positus contemplabatur, ultra videre non meruit. Hic verba Dei sedulo audierat cordis mundicia et [celsitudine] visionis hic beatorum angelorum spiritibus intererat. Cum vero per inobedienciam cecidit,

et lumen mentis quo illustrabatur ab eo recessit. Ex cujus carne nos omnes nati sumus in miseria, sed tamen per fidem Domini nostri Ihesu Christi quam in babtismate suscepimus, redivimus ad hanc patriam. Vitam aliam esse credidimus per spiritum sanctum; quam esse non potuimus scire, sicut ille per experimentum. Verumptamen quoniam post fidei suscepcionem multis actualibus peccatis implicati fuimus, non nisi per purgationem tormentorum per que transisti huc venire potuimus; penitentiam enim quam ante mortem vel in morte suscepimus et non perfecimus in illis penalibus, alii majori, alii minori spacio temporis secundum modum et quantitatem culparum tormenta luendo peregimus. Omnes igitur qui in hac requie sumus, in illis locis penalibus pro peccatis nostris fuimus. Sic et omnes quos in singulis locis penalibus vidisti, preter eos qui infra os putei infernalis sunt positi, post purgacionem ad hanc in qua sumus requie pervenientes salvi tandem erunt. Omni vero die seculi inde purgati huc ad nos veniunt aliqui, et nos obviantes eis venimus, sicut et tibi fecimus, et eos in hanc requiem introducimus. De eis vero qui ibi sunt alii aliis majori vel minore tempore erunt. Qui vero bene purgati de corpore exeunt, statim huc ad nos veniunt. Nullus autem eorum qui in penis sunt novit quamdiu ibi demoraturus sit: per missas vero et psalmos et orationes et elemosinas, quociens pro eis fiunt, aut eorum tormenta minorantur, aut de ipsis tormentis in minora transferuntur, donec omnino per talia beneficia liberentur. Et cum in hanc patriam venerint, quamdiu hic mansuri sunt, nesciunt. Nullus enim hoc scire potest de se quamdiu hic debeat esse. Sicut enim in locis penalibus secundum quantitatem culparum percipiunt remorandi ibi spacium, ita et qui hic sumus secundum merita bona minus plusve demorandi spacium percepimus. Et licet a penis sumus liberati, tamen ad superna[m] celi leticia[m] ascendere nondum sumus digni; quamdiu tamen hic moraturus sit, nullus de se novit. Ecce hic, ut vides, in magna requie sumus et leticia, sed post spacium a Deo singuli constitutum hinc transibimus. Cotidie enim societas nostra crescit et cotidie decrescit. Sicut enim cotidie aliqui de tormentis purgati huc ad nos veniunt, ita et hinc a nobis in paradi(o)so terrestri constitutis, in paradisum celestem ascendunt." Sed pontifices duo perducentes illum in montem unum, jusserunt illi ut aspiceret sursum; quo cum aspexisset, inter- [Paradis céleste]

Pouam (*l.* Novam) itaque exercens militiam, pergit miles audacter, licet solus, ac diutius per foveam. Ingravescentibus magis ac magis tenebris, lucem amisit tocius claritatis. Tandem ex adverso lux parvula cepit eunti per foveam nitescere viro. Pergens itaque per foveam subterraneam tandem ad campum pervenit predictum et ad aulam. Lux vero ibi non habebatur nisi qualis hic vespertin(u)[i]s horis in hyeme habetur. Aula vero parietem in se non habebat integrum, quoniam columpnis et archiolis undique erat construct(um)[a] quasi monachorum claustrum. Cumque circa aulam diucius ambulasset, mirando ejus structuram mirabilem, ingrediebatur intus et vidit infra ejus septa eam satis mirabiliorem. Sedens igitur in aula, oculos curiose huc illucque jactavit, admirans pulcritudinem et apparatum quem in ea vidit. Sic enim estimavit in hoc seculo aula talis visa ab homine vel facta nuncquam fuit. Cum itaque (f. 75*b*) aliquamdiu in

[Les quinze messagers]

ea solus sedisset, ecce XV viri quasi religiosi et nuper rasi atque albis vestibus amicti domum illam intraverunt et, salutantes eum in nomine Domini, consederunt. Et tacentibus illis, unus cum eo sic loquebatur, qui quasi prior et dux eorum videbatur: „Benedictus sit omnipotens Deus, qui in corde tuo bonum propositum misit et ipse in te perficiat bonum quod incepit. Et quoniam ad hoc purgatorium pro peccatis tuis venisti, ut ab ipsis purgeris, aut viriliter agere ex necessitate compelleris, aut per inerciam et anima et corpore pariter peribis. Mox enim, ut egressi fuerimus hanc domum, replebitur immundorum multitudine demonum, qui gravia tibi inferent tormenta et minabuntur inferre graviora. Ad portam qua intrasti illesum te ducturos, si eis ut revertaris assenseris, promittent, conantes si vel hoc modo te decipere possi[n]t. Et si quolibetmodo, vel tormentorum afflictione victus, vel minis territus seu promissis deceptus, assensum prebueris illis, et corpore et anima pariter peribis. Si autem fide firmatus, spem totam in Domino posu[er]is ita ut nec tormentis eorum nec minis nec promissis cesseris, sed ex corde quasi nichilum contempseris, non solum ex actualibus peccatis tuis purgaberis, sed etiam tormenta que parata sunt peccatoribus pro peccatis et requiem in qua justi letantur videbis. Semper igitur in memoria Deum habeas; et cum te cruciaverint, invoca Dominum Ihesum Christum, per invocacionem ergo hujus nominis statim liberaberis a quocumque tormento(rum) in quo fueris. Tecum vero hic esse amplius non possumus; Deo te omnipotenti commendamus." Sicque eorum data benedictione viro recesserunt ab eo.

[Apparition des démons]

Pro viris ita istis remanet ibi miles solus, ad novi generis militiam instructus; quoniam quidem obpugnans olim homines (f. 76*a*) jam presto est certare contra demones. Armis Christi munitus, expectat quis demonum illum provocet ad bellum prius. Justicie lorica induitur, scuto fidei protegitur, spe victorie salutisque eterne mens ut capud galea redimitur; habet et gladium spiritus, quod est verbum Dei, devote invocando Dominum Ihesum Christum, quatinus ejus regio munimine sic sepiatur ne ab adversariis infestantibus non superetur. Nec eum boni Ihesu pietas fefellit, que confidentes in se non consuevit fallere. Cum jam instructus atque in domo solus sederet animoque impavido pugnam demonum exspectaret, subito circa domum cepit audir(e)[i] tumultus quasi totus commoveretur mundus. Etenim si omnes homines et omnia animalia et bestie simul convocarentur et vocibus pariter suis tumultuarentur, ut sibi est

visum, majorem non facerent tumultum. Unde nisi virtute divina protegeretur et a viris predictis commodius instrueretur, ipso tumultu a(rgu)mentaretur. Et ecce post horridum sonum talis auditus subsequitur et horribilis demonum visus; visibiliter enim cepit undique multitudo et innumera demonum formarum deformium in domum illam irruere, cachinando ac deridendo illum salutare, et jam ei quasi per obprobria dicere: „Alii homines qui nobis serviunt non nisi post mortem ad nos veniunt, unde eo magis grates debemus tibi scire et majorem mercedem pro servicio tuo tibi reddere quod nostram societatem cui studiose deservisti in tantum honorare voluisti, ut sicut alii homines nolueris expectare, sed vivendo corpus tuum et animam nobis tradere; ut majorem mercedem acciperes hec fecisti, recipies a nobis habundanter que meruisti; huc venisti, ut pro peccatis tuis tormenta sustineres; habebis nobiscum pressuras et dolores. Verumptamen pro hoc quod nobis servieris (f. 76*b*), si nostris adquiescendo consiliis et illesus reverti volueris, hoc tibi pro munere faciemus, quod ad portam qua intrasti illesum te deducemus, quatinus vivus adhuc in mundo gaudeas, ne totum quod suave est corpori tuo funditus amittas." Hoc ei ideo dixerunt, quia aut terrore aut blandimentis eum decipere voluerunt. Sed Christi miles nec terrore eorum concutitur nec blandimentis seducitur. Eodem enim animo Christi miles et terrentes contempnebat et blandientes atque sedendo omnino tacuit nec vel unum verbum eis respondit. Contempni se videntes, fremebant in eum struxeruntque in domo maximi incendii rogum. Post hec manus et pedes militis ligaverunt, ligatumque in ignem projecerunt uncisque ferreis huc illucque per incendium traxerunt clamantes. At ille tam regis sui munimine septus, quam a viris prefatis nuper instructus, spiritalis milicie artem minime est oblitus. Cum enim adversarii hoc incendio eum prosternere conati sunt, quasi asaltu primo nomen Ihesu pii invocavit sicque se de eorum asaltu defendit. Primum in ignem missus tormentum grave sensit, et in ipsa angustia bonum nomen nominavit. Ita vero est extinctus tocius incendii rogus, ut post invocacionem domini Ihesu nec scintilla inveniretur tocius ignis. Quod cernens, miles audacior efficitur contra hostes: hoc in animo proposuit quod abs tunc non formidaret quos per invocacionem Christi nominis ita vinci conspexisset. [L'épreuve]

Relinquentes igitur demones domum cum ejulatu et tumultu horrido, militem inde traxerunt. Egredientes vero alii ab aliis discesserunt; quidam eorum militem per vastam [Premier tourment]

regionem diucius secum traxerunt. Nigra erat terra et regio tenebrosa, nec quicquam nisi demones, qui eum traxerunt, vidit in ea. Ventus tamen unus ibi talis fuit qui (f. 77*a*) vix audiri posset, sed sui rigiditate, ut sibi videbatur, corpus suum perforavit. Versus locum illum recto tramite militem traxerunt quo sol oritur longioribus diebus in estate. Cumque illuc venissent quasi in mundi fine, ceperunt dextrorsum converti et quasi per vallem latissimam contra austrum tendere, scilicet contra locum quo sol oritur brevioribus diebus in hyeme. Illucque convertendo cepit quasi vulgi tocius terre miserrimos clamores, ejulatus fletusque audire, et quo magis illuc approximabant eo clariores ac multiplices clamores fletuum audivit. Tandem tractu demonum latissimum longissimumque pervenit in campum dolore ac miseriis plenum. Finis campi illius pre sua longitudine non potuit videri a milite. Ille itaque campus hominibus utriusque sexus diverseque etatis, nudis in terra jacentibus erat plenus; quorum corpora et corporum membra super terram extendebantur et ventre ad terram verso, clavis ferreis candentibusque per manus ac pedes defixis, miserabiliter tenebantur. Aliquando pre doloris angustia terram commedebant, aliquando cum fletu et ejulatu „parce, parce" vel „miserere, miserere" clamabant. Sed qui suorum ibi misereretur non habebant. Demones eciam inter et super eos currentes, flagris eos gravioribus cedebant. Dicunt illi demones: „Hec tormenta que vides senciendo pacieris, nisi nostris adquieveris consiliis: hoc est, ut a proposito cesses ut revertaris; et si ita volueris, ad portam qua intrasti a nobis pacifice deduceris, et sic illesus abibis." Ille vero mente retinens qualiter alibi ab eis Deus liberavit, hoc omnino contempsit. Illi vero in terra illum prost(e)r(n)averunt et clavis figere, ut alii erant, conati sunt; sed invocato Ihesu nomine ei in loco illo amplius facere nequiverunt. (f. 77*b*). Inde vero ad campum alium ceperunt trahere illum, majori miseria repletum. Iste itidem campus hominibus utriusque sexus diverseque etatis, clavis fixis, erat plenus. Inter istos et alios qui in alio campo erant diversitas eorum erat ista, quod illorum quidem ventres, istorum terre herebant dorsa.

[Deuxième tourment]

Dracones igniti super alios sedebant et quasi comedentes eos modo miserabili dentibus ignitis mordebant,; aliorum autem colla, vel brachia, vel corpora, serpentes igniti cinxerunt et capita sua pectoribus hominum aponentes, ignitum aculeum oris sui in cordibus infixerunt. Bufones eciam mire magnitudinis et quasi igniti visi sunt super quorundam pectora insistere et rostra sua deformia infigentes,

quasi eorum corda conati sunt extrahere. Qui in hoc clavis fixi erant a fletu et ululatu nuncquam cessabant. Demones vero inter et super eos transitabant et flagris eos cedendo vehementer cruciabant. Fines campi hujus non vidit, quoniam pre longitudine eos videre non potuit, nisi in latitudine, qua intravit et exivit. In traversum campos pertransivit. „Hoc, inquiunt demones, quod vides pacieris, nisi nobiscum ut revertaris assenseris." Cumque eos contempsisset, conati sunt sicut superius clavis eum figere, sed non potuerunt invocato ab illo nomine Ihesu. Inde igitur trahentes, eum [perduxerunt] usque ad tertium ca[m]pum miseriis plenum. Iste etiam campus hominibus utriusque sexus diverseque etatis erat plenus, qui ita in terra clavis ferreis candentibusque fixi jacebant, ut pre multitudine clavorum ignitorum a capitis summitate usque ad digitos pedum locus vacuus non inveniretur, quantum digiti unius summitate tegeretur. Isti vix vocem ad clamandum formare potuerunt, sed sicut homines qui morti proximi sunt, ita (f. 78*a*) utcumque vocem emiserunt. Nudi et isti sicut ceteri esse videbantur, et vento frigido et urente flagrisque demonum cruciabantur. „Hec, inquiunt demones, tormenta pacieris, nisi nobis ut revertaris assenseris." Et cum eum clavis figere voluerunt, invocavit nomen Ihesu, et ei amplius facere non potuerunt. [Troisième tourment]

Transeuntes igitur, pervenerunt ad quartum campum multis ignibus plenum, in quo omnia genera invenerunt penarum. Alii suspendebantur per pedes catenis igneis. Alii per manus, alii per capillos, alii per brachia, alii per tibias, capitibus in ymis versis et sulfureis flammis immersis; alii ignibus pendebant uncis ferreis in oculis, vel auribus, vel naribus, vel faucibus, vel mamillis aut genitalibus infixis; allii fornacibus sulfureis cremabantur; alii quasi super sartagines urebantur, alii verubus igneis infixi ad ignem assabantur, quos alii demones igni appositos verterunt; alii diversis metallis deguttaverunt. Demones omnes flagris ceciderunt, nulli parcere voluerunt. Omnia genera tormentorum que excogitari possunt in quodam modo esse visa sunt. Ibi de sociis quondam suis quosdam invenit et bene cognovit. De ejulatibus et fletibus et clamoribus quos audivit nulla vox hominum dicere ex toto sufficit. Hii autem campi non solum cruciati(bus)[s] hominibus, sed etiam excrucia[n]tibus demonum erant pleni. Cumque illum ibi cruciare voluissent, nomen Ihesu invocavit et quia se ex eorum crucia[n]tibus sic extorsit. [Quatrième tourment]

Inde igitur descendentes vidit ante se maximam rotam [Cinquième tourment]

ferream et igneam, cujus radii et canti uncis igneis undique erant circumsepti, in quibus singulis pendebant homines quasi fixi. Rote vero hujus medietas sursum in aere stabat, alia medietas in terra (f. 78*b*) deorsum erat. Flamma autem tetri sulphureique incendii(que) de terra circa illam surgeba(n)t et pendentes in ea miserrime ardebat. „Hec, inquiunt demones, que isti tollerant pacieris, nisi reverti volueris. Que tamen tollerent prius nunc videbis." Demones igitur ex utraque parte alii contra alios steterunt et alii in utraque parte vectes ferreos inter radios rote impingentes, rotam levaverunt; alii ex alia parte vectes ferreos impingentes, eam depresserunt deorsum tantaque sic eam velocitate voluerunt, ut nullum omnino ab alio visu possent discernere, quia pre nimia cursus celeritate videba(n)tur quasi ignis esse. Planxerunt miserrime et fleverunt omnes qui rote infixi fuerunt. Cumque eum super rotam jactassent et eum in aere rotanto (*sic*) levassent, in descensione rote nomen Christi invocavit et statim de ea descendit. Et quia post invocacionem Christi nominis aliquid ibi facere ei ultra nequiverunt, inde illum extrahentes processerunt. Ecce vidit ante se domum unam grandem quasi fornacem fumigantem, cujus altitudo fuit nimia, longitudo tanta ut illius non videri ultima. Cum vero versus eam horribiliter tracturus esset et adhuc ab ea aliquantum longius esset, pre nimio calore qui inde exibat, volens procedere non poterat. Dixerunt ergo ei demones: „Quid subsistendo tardas? Balnearium est, quod vides; velis nolis, illuc progredieris ut cum eis qui ibi sunt balnieris." Ceperunt autem de domo illa miserimi vagitus emitti, fletus et planctus audiri. Intrans autem domum illam, vidit visionem duram. Etenim domus illius pavimentum rotundis fossis erat plenum, de quibus alie aliis sic coheserunt quod inter ipsas vix via aliqua patuit (f. 79*a*). Erant autem fosse singule metallis diversis ac liquoribus bullientibus plene. In quibus utriusque sexus diverseque etatis erat demersa hominum multitudo maxima, quorum alii omnino erant immersi, alii usque ad supercilia, alii usque ad oculos, alii usque ad labia, alii usque ad colla, alii usque ad pectus, alii usque ad umbilicum, alii usque ad femora, alii usque ad genua, alii usque ad tibias, alii tantum uno pede in metallo bulliente stabant. Alii unam manum vel utramque in eis tenebant. Omnes pariter pre dolore conclamabant, omnes miserabiliter flebant. „Ecce, inquiunt demones, cum istis balneaberis, nisi reverti volueris." Et cum cepissent eum in fossam unam mergere, invocato ab eo Christi nomine, ceperunt inde procedere. Et inde protra-

[Sixième tourment]

[Septième tourment]

hentes illum perrexerunt contra montem unum, in quo utriusque sexus diverseque etatis super digitos pedum curvatam tantam vidit sedere multitudinem nudorum hominum, quod pauci viderentur ei omnes quos antea viderat ad comparacionem eorum. Omnes vero quos vidit ibi, quasi mortem cum tremore exspectantes ad aquilonem erant versi. Cumque ille miraretur quid hec multitudo prestolaretur, unus demonum dixit ad eum: „Miraris fortasse quid cum tanto tremore exspectat populus iste? Nisi reverti volueris, scies hoc certissime." Vix demon verbum finierat, et ecce ab aquilone ventus turbinis vehementis veniebat, qui et ipsos et quem ducebant omnemque populum illum arripuit et in flumine fetido ac frigidissimo flentem et ejulantem longe in alia montis parte jactavit, in quo nimio frigore vexabantur. Et cum de aqua surgere niterentur, currentes desuper aquam demones in ipso flumine immerserunt omnes. At miles nomen Christi invocavit et statim se in alia ripa invenit.

(Huitième tourment)

Accedunt ad eum demones contra austrum (f. 79*b*) illum trahentes. Et ecce ante[se] vidit flammam tetram et sulphure(am)[o] fetore fetidam quasi ascendere et quasi homines nudos et igneos utriusque sexus diverseque etatis sicut scintillas ignis sursum in aere jactare, qui et flammarum vi deficiente iterum ceciderunt in puteo et igne. Quo approximantes, dixerunt militi demones: „Iste flammosus puteus inferni est introitus; in hoc loco nostrum est habitaculum. Et quoniam nobis huc-usque servisti, hic sine fine manebis nobiscum. Omnis enim qui nobis servit hic sine fine nobiscum manebit. Et si hoc inferni os intraveris, et anima et corpore pariter peribis; si tamen adhuc nobis assenseris ut revertaris ad portam qua intrasti illesus a nobis deduceris. Illo autem de Dei adjutorio presumente illorumque promissa contempnente in igne putei se jecerunt secumque militem in eo traxerunt; et quo profundius in puteum descendit, eo laciorem illum intrinsecus vidit et eo graviorem penam sensit. In eo vero tantam sensit miles angustiam ut pene pre nimietate angustie et doloris omnino oblitus sit sui adjutoris. Deo autem oppitulante nomen Ihesu Christi invocavit statimque vis flamme eum cum reliquis sursum in aere elevavit. Sicque in descensione juxta puteum solus aliquandiu stetit. Ecce demones alii et ab eo, ut ita dicam, incogniti de puteo procedentes advenerunt eique ita dixerunt: „Et ibi stas? Quod hic esset infernus, socii nostri tibi dixerunt; sed consuetudinis nostre est semper mentiri, ut decipiamus per mendacium quos decipere non possumus per verum.

[Neuvième tourment]

Hic non est inferni locus, sed nunc ad infernum te deducemus." Inde igitur cum tumultu magno eum extraxerunt, sicque ad flumen unum latissimum pervenerunt. (f. 80*a*). Erat autem flumen illud totum flamma quasi sulphurei incendii coopertum atque demonum multitudi[n]e plenum. Dixerunt ergo ei: „Sub isto flammante flumine scias infernum esse." Ultra flumen autem quod videbatur pons unus protendebatur. Dixeruntque demones ad militem: „Oportet te nunc ambulare super hunc pontem et per nos ventus ille qui te dejecit in flumine alio deiciet te in isto; et statim a sociis nostris qui in flumine sunt capieris et in profundum inferni demergeris. Prius tamen habes probare quale sit super pontem ambulare." Et tenentes ejus manum fricaverunt super pontem illum. Et ecce in ponte illo erant tria transeuntibus valde dubitanda: primum, quod ita lubricus erat, ut etiam latus esset, nullus aut vix quis in eo pedem figere posset; aliud, quod ita strictus fuit quod pedibus in eo stare vel ambulare nullus potuerit; tertium, quod pons ille ita altus erat a flumine quod horridum esset deorsum aspicere. „Si tamen, inquiunt, nobis adhuc assenseris ut revertaris, ad portam qua intrasti illesus a nobis deduceris." Cogitans autem ille de quantis eum pius Ihesus liberavit antea periculis, invocato ejus sanctissimo nomine cepit pedetentim prius super pontem ambulare. Quo vero super pontem ambulavit amplius eo ambulavit securius: quo enim in eo magis ambulavit eo viam largiorem invenit. Semper etenim ut ambulavit latitudo vie ex utraque parte crevit. Et ecce post paululum latitu[do] pontis exciperet carrum honustum et post modicum via erat ita larga, ut sibi in ea obviarent duo carra. Porro demones qui eum adduxerunt ad ripam fluminis restiterunt, et videntes militem libere abire, vocibus suis ibi aerem concusserunt horrende (f. 80*b*) ut magis esset vocum illorum terrore percussus quam tormentorum illacione antea fuerat excruciatus. Alii demones, qui sub ponte in flumine erant, uncos suos ad illum jactaverunt, sed illum tangere non potuerunt. Secure tandem processit, quia sibi nil obsistere invenit; sicque latitudine pontis excrescente flumen respexit ex utraque parte a longe.

[Le paradis terrestre]

Procedens igitur miles jam liber a demonum vexacione, vidit ante se murum unum de terra altum erectum in aere. Erat autem murus ille mirabilis et incomparabilis structure. In quo muro portam clausam unam videbat, que metallis lapidibusque preciosis ornata mirabili choruscacione radiabat. Ad quam cum appropinquasset et adhuc quasi spacio dimi-

dii miliaris abesset, porta illa contra illum patuit et tante suavitatis odor(e) occurrens per eam exivit ut, sicut videbatur ei, res tocius mundi converteretur in aromatibus, non vincerent magnitudinem suavitatis hujus. Tantasque vires percepit ex illa suavitate, ut tormenta que antea pertulit, ut sibi videbatur, jam sine angustia posset sustinere. Respiciensque infra portam, vidit patriam claritate solis splendorem vincente lustratam. Vidit, et introire concupivit. Beatus vero miles cui talis porta venienti patuit; nec eum fefellit qui eum eo venire permisit quia ejus mox desiderium complevit. Cum enim adhuc aliquantulum longius esset a porta, egressa est contra eum cum crucibus, vexillis cereisque et quasi palmarum aurearum ramis processio talis ac tanta quanta in hoc mundo, prout estimavit, nuncquam est visa. Vidit quasi hominum formas de omnibus ordinibus diverseque etatis utriusque sexus. Vidit alios quasi archiepiscopos (f. 81*a*), alios ut episcopos, alios ut abbates vel monachos atque alios quasi presbyteros et singulorum graduum ecclesie ministros, sacris vestibus suis ordinibus congruentibus indutos. Omnes vero, tam clerici quam laici, forma vestium videbantur esse vestiti in quibus servierunt Christo dum fuerunt in hoc seculo vivi. Militem vero cum magna veneracione et leticia susceperunt, sicque cum concentu seculo inaudite armonie secum illum perducentes, infra portam redierunt. Finito vero concentu qui illum introduxerunt, duo quasi archiepiscopi patriam ei ostensuri, in suo eum ductu et comitatu susceperunt. Qui cum eo loquentes, primo benedixerunt Deum, qui tanta constancia contra tormenta per que transiit et que pertulit, ejus confirmavit animum. Ipsis igitur per patriam illum ducentibus huc illucque pertransivit, et multo plura quam dicere potuit in illa jocunda prospexit.

Vidit tamen patriam tanta claritate lucis lustratam ut, sicut lumen lucerne cecatur splendore solis hujus, sic sol meridianus, ut sibi erat visum, obtenebraretur pre nimia claritate lucis illius. Fines patrie pre nimia longitudine scire non potuit, nisi tamen ex ea parte qua per portam intravit. Erat autem et patria tota quasi amena prata atque virencia, diversis floribus fructibusque multiformium herbarum arborumque decorata, ex quorum tamen odore sine fine, ut sibi videbatur, vixisset, si ibi sine fine manere potuisset. Nox illam nuncquam obscurat, quia semper splendor puri celi desuper in ea indicibili claritate rutilat tantamque ibi vidit utriusque sexus hominum multitudinem quantam in hac vita vidisse antea neminem putabat. Alii in hiis, alii

in illis locis per conventus distincti commanebant et tamen, prout voluerunt, alii de istis (f. 81*b*) in illis, alii de illis in istis catervis cum leticia transibant, sicque fiebat ut et alii de aliorum visione gaudebant et alii de aliorum visitacione exultabant. Chori choris per loca astiterunt dulcisque armonie concentu Creatorem suum laudaverunt. Et sicut stella ab alia differt in claritate, ita erat differencia varia in eorum vestium et vultuum nitore. Alii enim amictu nitebantur indu[t]i aureo, alii viridi, alii purpureo, alii jacinctino, alii ceruleo, alii candido, forma tamen habitus qua singuli utebantur in hoc seculo; forma enim vestis novit miles cujus ille vel ille fuerit in seculo ordinis. Quorum habitus varius color varie pocius videbatur esse claritatis splendor; hoc enim quod videbatur esse vestium color et forma, videbatur vestis uniuscujusque pocius esse nitentis claritatis gloria. Alii quasi reges coronati incedebant, alii in manibus palmas aureas ferebant. Tantorum in requie militi fuit delectabilis suavisque auditus. Undique sanctorum audivit concentum laudes Dei personancium; singuli autem de propria felicitate gaudebant, singuli de singulorum gaudio et erepcione exultabant. Tantusque patriam odor repleverat suavitatis ut ipsa suavitatis fragrancia viderentur sustentari habitantes et ambulantes in ea. Ibi videbantur mansiones variorum conventuum vel singulorum; erant singule magnitudine lucis replete. Omnes vero qui militem intuebantur, Deum benedicentes de ejus adventu quasi de fraterna erepcione a morte gratulabantur. Videbatur quodammodo ibi de ejus adventu quasi nova exultacio fieri: unusquisque in patria illa exultavit, undique sanctorum melodia resonabat, nec estum nec frigus ibi sentiebat (f. 82*a*), nec quod offendere vel nocere posset ibi quicquam videbat. Omnia ibi pa[ca]ta, omnia placita, omnia grata. Multo plura in beatorum requie oculis suis vidit quam in hac vita de ea unquam vel quam quis inde scire possit.

[Allocution des archevêques] Conspectis tandem locis multis et sanctorum conventibus atque eorum ab eo auditis [cantilenis] suavibus, pontifices qui ei patriam ostenderunt, ab aliis seorsum subtrahentes, militi ita dixerunt: „Ecce, frater, Deo auxiliante vidisti que videre desiderasti, vidisti enim huc veniendo tormenta peccatorum, vidisti hic et requiem beatorum. Benedictus autem sit Creator et redemptor omnium, qui tale tibi dedit propositum, cujus gratia constanciam habuisti in tormentis per que transisti; et quoniam ejus gratia et virtute ad nos perductus es, de singulis que vidisti rationem aliquam a nobis audire debes.

Patria ista est terrestris paradisus, unde pro peccatis ejectus est primus homo. Hinc Adam expulsus in miseriam illam in qua homines nascuntur est projectus. Postquam enim Deo subici per precepti obedienciam noluit, celica gaudia que in hoc loco positus contemplabatur, ultra videre non potuit. Hic verba Dei sedulo audierat cordis mundicia et celsitudine visionis hic beatorum angelorum spiritibus intererat. Cum vero per inobedienciam cecidit, et lumen mentis quo lustrabatur ab eo recessit. Ex cujus carne nos omnes nati sumus in miseria, sed tamen per fidem Domini nostri Ihesu Christi quam in baptismate suscepimus, redivimus in hanc patriam. Vitam aliam esse credidimus per [spiritum] sanctum; quam esse non potuimus scire sicut ille per experimentum. Verumptamen quoniam post fidei suscepcionem multis actualibus peccatis implicati sumus, non nisi per purgacionem tor[men]torum per que transisti huc venire potuimus; penitenciam enim quam ante mortem, (f. 82*b*) vel in morte suscepimus et minime perfecimus, (cum) [in] illis locis penalibus, alii majori, alii minori spacio temporis secundum modum et quantitatem culparum tormenta luendo peregimus. Omnes vero qui in hac requie sumus, in illis locis pro peccatis nostris fuimus. Sic et omnes quos in singulis locis penalibus vidisti, preter eos qui infra os putei infernalis sunt, post purgacionem ad hanc in qua nunc sumus requiem pervenientes salvi tandem erunt. Omni vero die seculi inde purgati huc ad nos veniunt aliqui, et nos eis obviam venimus, sicut et tibi fecimus, et eos in hanc requiem introducimus. De eis vero qui ibi sunt alii aliis majori vel minori tempore erunt. Qui vero bene purgati de corpore exeunt, statim huc ad nos veniunt. Nullus autem eorum qui in penis sunt novit quamdiu ibi demoraturus sit: per missas vero et psalmos, et orationes et elemosinas quociens pro eis fiunt, aut eorum tormenta minorantur, aut de ipsis tormentis in minoribus transferuntur, donec omnino per talia beneficia liberentur. Et cum in hanc patriam venerint, quamdiu hic mansuri sint, nesciunt. Nullus enim nostrum hoc scire potest de se quamdiu hic debeat esse. Sicut enim in locis penalibus secundum quantitatem culparum percipiunt remorandi ibi (et) spacium, ita et qui hic sumus secundum merita bona minus plusve hic morandi spacium percepimus. Et licet a penis simus liberati (et) liberi tamen ad supernam celi leticiam ascendere nondum sumus digni; quamdiu tamen hic quis moraturus sit, nullus de se novit. Ecce hic, ut vides, in magna requie et leticia sumus, sed post spacium a Deo constitutum singulis

hinc transibimus. Cotidie enim societas nostra crescit et cotidie decrescit. Sicut (f. 83*a*) enim cotidie aliqui de tormentis purgati huc ad nos veniunt, ita et hinc a nobis in paradiso terrestri constitutis, in paradisum celestem ascendunt."

[Paradis céleste] Pontifices vero perducentes illum in montem unum, jusserunt illi ut sursum aspiceret; quo cum aspexisset, interrogaverunt eum cujusmodi coloris esset celum contra locum in quo staret. Respondit miles coloris aurei esse simile ardentis in fornace. „Hoc, inquiunt, quod nunc vides, introitus est celi et porta celestis paradisi. Quando aliqui a nobis recedunt, hic in celum ascendunt. Quamdiu hic manemus, cotidie pascit nos celesti cibo Dominus; quali autem hic pascimur cibo, jam sencies nobiscum gustando." Finito vix hoc sermone quasi flamma ignis de celo descendit, que, ut sibi videbatur, patriam cooperuit, et, quasi per radios super singulorum capita descendens, tandem in eis tota intravit. Super militis vero capud ita descendit et in eo sicut in aliis intravit et tantam inde delectacionis suavitatem in corde et corpore sensit ut pene pre nimia suavitate delectacionis non intellexerit utrum vivus an mortuus fuerit, sed hora illa cito pertransiit. „Hic, inquiunt, est cibus ille unde semel a Deo cotidie pascimur. Qui vero in celum ascendunt, hoc perfruuntur sine fine." Ibi miles libenter mansisset, si permanere lucuisset (*l.* licuisset). Sed post talia et tam jocunda referuntur ei tristia. „Quoniam, inquiunt, ex parte jam vidisti que videre desiderasti, requiem scilicet beatorum et tormenta peccatorum, oportet jam ut nunc redeas eadem via qua huc veneras. Et si bene amodo in seculo vixeris, securus esto quod huc ad nos venies, quando de corpore exieris. Si autem, quod absit, mala vixeris vita, vidisti quanta te exspectant tormenta. In isto autem reditu (f. 83*b*) quo nunc redibis nec demones nec tormenta formidaveris, quia demones non audebunt ad te accedere, nec tormenta que vidisti te poterunt ledere. " „Hinc, ait miles lugens, recedere non potero, quia, si hinc recessero, ne per fragilitatem aliquid admittam quod huc me venire impediat timeo." „Non, inquiunt, sicut tu vis, erit, sed sicut Ille qui et te et nos fecit voluerit." Merens igitur ac lugens ad portam reducitur, et contra voluntatem inde egressus, porta statim

[Le retour du chevalier] post eum clauditur. Via igitur rediit qua venit, donec ad aulam prenominatam pervenit. Demones vero quos in ipso reditu vidit, quasi timentes eum, ab illo fugerunt, et tormenta per que transiit illi omnino non nocuèrunt. Et cum intraret in aulam super columpnas structura mirabili factam in qua

post visitacionem sanctorum ei occurrit antea multitudo demonum, statim occurrunt illi iterum XV predicti viri, laudantes Deum de bona constancia quam contulit ei. „Per laborem, inquiunt, quem sustinuisti a peccatis es purgatus; nunc aut[em] oportet ut hinc ascendas quamtocius; jam enim in tua patria diurne lucis clarescit aurora, et nisi prior post missam portam aperiens te invenerit, de reditu tuo ultra diffidens, obserata porta in ecclesiam redibit." Sicque accepta ab eis benedictione, prout potuit, ascendere festinavit. Eademque hora qua prior portam aperuit et militem ibidem promptum invenit, eum cum omni gaudio et leticia magna suscipiens in ecclesiam introduxit; ibi iterum XV diebus in orationibus permanere fecit. Sicque cruce in humero accepta Ierosolimam perrexit, et, inde rediens, regem dominum suum consulturus adiit, ut ejus consilio secundum illum religionis ordinem exinde viveret quem rex ipse (f. 84*a*) illi laudaret. Diebus autem illis quibus circa regem ipse miles moraretur pro causa hujus, pie memorie abbas Gervasius Ludensis cenobii, qui ab eodem rege locum ad construendam abbaciam adquisivit, monachum suum nomine Gilebertum de Luda, qui postea fuit abbas de Basingewerc apud eundem regem in Yberniam misit, ut et locum susciperet et abbaciam inciperet. Cum ergo ad regem venisset, conquestus est quod patrie illius linguam nesciret. „O, inquid rex, Deo auxiliante bonum tibi interpretem inveniam." E[t] vocato milite ipso jussit ei rex ut maneret cum eodem Gileberto. Nec renuit miles, sed consensit regique domino suo ita dixit: „Gratanter debeo eis servire, et gaudenter debetis monachos Cisterci ordinis in terra vestra suscipere, quoniam, ut vera fatear, in alio seculo in tanta gloria non vidi homines alios in quanta vidi esse illos." Sicque miles cum ipso Gileberto mansit, sed nec monachus vero conversus esse voluit, quin pocius servum se domui reddidit. Abbaciam igitur construere ceperunt, et duobus annis et dimidio in ea simul manserunt. Gilebertus domus illius erat celerarius, miles vero in omnibus negociis minister fidelis et interpres fuit ei devotus. De ipso vero milite Gilebertus testatur quod sancte et religiose vixerit, quamdiu cum eo morabatur. Quando vero solus alicubi cum eo fuit, hoc illum sepe pro edificacione narrare fecit. Postea vero monachi qui [cum] eo missi fuerunt illum locum reliquerunt et ad Ludense cenobium in Angliam redeuntes, militem sancte honeste viventem in Hybernia dimiserunt.

[La mission de Gilbert]

Hec cum ipse Gilebertus coram multis, me (f. 84*b*) audiente, sicut sepe a milite audierat pro edificacione retulisset, unus

[Témoignage de Gilbert]

affuit qui hec ita esse se dubitare dixit. Cui Gilebertus ita respondit: „Sunt quidam, inquid, qui dicunt intrantes, cum aulam primam intraverint, in extasi fieri et predicta ab eis in spiritu videri. Quod quidem miles omnino non concedit, quia corporaliter oculis hec se vidisse et in corpore corporaliter pertulisse dicit." Adjecit Gilebertus: „Si non credis que ab eo audivi, crede saltem quod ab oculis meis vidi. In domo cui prefui monachum satis religiosum vidi qui, cum bonis operibus toto corde esset intentus, a demonibus, qui ei invidebant, dormiens de dormitorio corporaliter est delatus; qui ita, nescientibus cunctis quid ei acciderit, tribus diebus ac noctibus a conventu abfuit. Sicque postea est relatus et in lecto jactatus, pene usque ad mortem est flagellatus et horrende per loca in corpore vulneratus a demonibus fuit. Et, sicut ipse mihi dixit, stupenda et horrenda tormenta vidit, que minime oblivioni tradidit; et per XV postea annos vixit. Sed vulnera que a demonibus illi sunt inflixa, in vita sua non fuerant sanata; nullo enim medicamine sanari potuerunt, sed semper aperta et recencia fuerunt; fuit autem vulnerum illorum aliquod ita profundum ut longior digitus tuus in eo posset intrare usque ad manum. Et quando vidisset aliquem juvenem ridere, vel aliquam exordinacionem facere, sic solitus fuit dicere: „O, si scires quanta huic exordinacioni maneat pena, certe non faceres ita." „Ego, inquid Gilebertus, vulnera ipsa vidi et attrectavi et gracias ago Deo omnipotenti quod manibus meis ipsum sepelivi."

[Témoignage de Florentien]

Forte et hoc anno instanti affatus sum episcopum, nepotem sancti Patricii tercii, sancti Malachie (f. 85*a*) scilicet socii, Florencianum nomine, in cujus episcopatu, sicut ipse mihi dixit, est prefatum purgatorium; de quo cum curiosius interrogarem si verum esset quod de eo audivi, respondit ipse episcopus mihi: „Verum est, frater, certe, et in episcopatu meo est locus ille, et multi homines in eo pereunt; et qui forte redeunt semper sunt infirmi et nuncquam sicut alii homines sunt colorati pro multis tormentis que paciuntur ibi. Sed si postea in bono perseveraverint, certi sunt quod alias penas pro ipsis peccatis suis non sustinebunt.

[Anecdote de l'hermite]

„Nunc autem est ibi juxta heremita unus manens qui est vir bonus et sanctus, et omni nocte visibiliter congregantur demones infra ambitum cellule sue statim post solis occasum, et sic tenentes suum placitum ante solis ortum recedunt. Et cum congregati fuerint, narrant singuli magistro suo quid in die egerint. Sanctus autem vir ille vidit manifeste demones, et noctibus singulis audit eorum narraciones. Ad hostium vero celle ejus veniunt, sed intrare non possunt,

et quasi nudas mulieres ibi multociens ostendunt. Sicque fit ut per narraciones demonum sciat heremita ille vitam in patria illa plurimorum. Sacerdos quidam sancte vite et honeste parochiam regebat in hac patria cujus talis fuit consuetudo ut cotidie mane surgens ad ecclesiam iret, prius cimiterium circuiret et pro animabus eorum quorum ibi corpora quiescebant VII Psalmos decantaret. Caste vero vixit et bonis operibus atque doctrine sollicite operam dedit. Demones vero multociens conquesti sunt de eo quod nullus eorem illum flectere posset a proposito. Increpabat autem eos et satellites magister quod tamdiu in bono permansisset presbiter. Et accedens unus demonum: „Ego, inquid, artem inveni per quam decipiam illum. Ego enim jam preparavi mulierem (f. 85*b*) per cujus eum ego decipiam et deiciam speciem. Sed non nisi infra XV annos id facere potero." „Si, inquid magister, infra XV annos deiceres, magnam rem faceres." Heremita vero hec audiens doluit, et de lapsu sacerdotis metuens, sacerdotem vocavit et omnia ei per ordinem ostendit. Sacerdos ideo Deo gracias reddidit quod talia per servum suum dignabatur ei ostendere. Et sic ab hac die jejuniis, vigiliis et oracionibus magis ac magis de die in diem carnem suam legitime macerabat. In illis autem diebus quibus hec a demonibus dicta sunt, venit secundum consuetudinem mane sacerdos, et circuiens cimiterium, repperit juxta crucem infantulam positam. Quam accipiens, commendavit eam nutrici ut eam nutriret quasi suam filiam propriam. Que cum ablactata fuit, in filiam sibi eam adoptavit, et sanctimonialem eam facere proposuit et litteras eam discere fecit. Que cum ad pubertatis annos pervenisset et illius pulcritudini presbiter assuete et familiariter intendisset, cepit temptari de ejus concupiscencia, quia secundum carnis pulcritudinem vel pocius putredinem erat nimis speciosa. Et sepe quo secrecius et familiarius eo frequencius de ea temptatus nuper consensum peciit et invenit. Quod enim a presbitero petebatur virgo concessit. Nichil tamen adhuc de corrupcione peregerunt aliud. Nocte sequenti postea quam virgo concessit accionem sacerdoti, demones, qui hoc loco convenerunt, gaudium de ejus lapsu magnum fecerunt. Et enim demon ille qui eum spopondit deicere magistro suo cepit dicere: „Dixi annos XV quod per mulierem deicerem illum sacerdotem. Jam feci illum a virgine quam sibi in filiam adoptavit petisse consensum et tantum feci ut virgo ei prebuit assensum et mane eos decipiam in (f. 86*a*) meridie. Visne, inquid magister demonum, socios habere tecum." „Non est, inquid, necesse

[Anecdote du prêtre et de la fille]

ut socios habeam; per me ipsum illos deiciam." Gracias igitur illi magister inde agebat, et illum viriliter egisse dicebat. Die crastina predictus presbiter virginem ad se vocans, in cubiculum suum introduxit et super lectum suum collocavit. Sicque Dei adhuc gracia protectus et ab heremita iterum premunitus, stetit ante lectum cogitans quid ei esset agendum. Jussit ergo ut virgo in lecto exspectaret donec ad illam rediret, et sic ad hostium cubiculi processit et cultro arepto virilia abscidit et foras projecit. „Quid, inquid, putatis, demones, quod non intellexerim temptaciones vestras? De perdicione mea vel filie mee non gaudebitis, quia nec me nec illam habebitis." Sequenti vero nocte interrogavit magister demonum discipulum si fecisset quod se facturum promisit in meridie. Ille vero omnem laborem suum se dixit amisisse et quid sacerdos fecisset cepit enarrate (*l.* enarrare). Jussu igitur magistri demon ab aliis flagellatur et sic cum ejulatu recedentes horrido et totum eorum placitum dissipatur. Heremita vero hec audiens gavisus est valde et inde gracias Deo reddidit. Sacerdos autem virginem quam quasi filiam nutrivit, Deo servituram in monasterio commendavit." Explicit.

STELLINGEN

I

In het algemeen onderscheidt zich de Anglo-Normandische letterkunde door haar didactisch karakter.

II

De Anglo-Normandische gedichten die St. Patricius' Vagevuur behandelen, hebben geen letterkundige waarde.

III

Het *Purgatoire de saint Patrice* door Berol kan niet worden beschouwd als een specimen van de „poèmes hagiographiques" (Cf. Bédier et Hazard, *Histoire de la littérature française illustrée*, Larousse, Paris, 1923, tome I, p. 5).

IV

„Les chants épiques furent colportés de lieu en lieu par les jongleurs. Munis de la vielle (violon) dont ils s'accompagnaient pour chanter, ils allaient de cour en cour, de château en château, accompagnaient les expéditions et prenaient part au combat. En 1066, le jongleur Taillefer „qui moult (= très) bien chantoit" était à la bataille d'Hastings. Les jongleurs ont joué un rôle capital dans la formation et le développement de l'épopée française" (*Précis de l'histoire de la littérature française* par J. Bitter et P. Valkhoff, septième édition, Zwolle, 1925, p. 7).

Deze passage kan den lezer op een dwaalspoor brengen.

V

Niet wat den vorm betreft, maar in zijn wezen is het tooneel van Alfred de Musset klassiek.

VI

De veronachtzaming van de interpunctie bij sommige hedendaagsche Fransche dichters gaat samen met het grilliger en onsamenhangender worden der beelden.

VII

De bewijsvoering welke het jaar 1189 vaststelt als „terminus a quo" voor de verschijning van het *Tractatus de purgatorio sancti Patricii*, houdt geen steek.

VIII

Prof. Dottin, die in zijn *Louis Eunius* vertelt over de avonturen van Ridder Owein en daarbij gebruik maakt van een XIIe eeuwsche tekst, vertaalt het woord „miles" abusievelijk door „soldat".

IX

De theorie van Prof. Vising aangaande het achtlettergrepige Anglo-Normandische vers geeft geen bevrediging.

X

Bij de waardeering van het werk der leerlingen uit de hoogste klasse der 5-jarige Hoogere Burgerschool is een conflict tusschen de eischen van gezonde paedagogiek en die van het eindexamen onvermijdelijk.

5


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06820 0438